



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

§. 4. De exercitio Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

inacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.
 laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia eius. Qui Angelis peccantibus non peccit: sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, ex D. Petri Epist. 2. c. 2.

Secundum se verò pœnitentia excutetur deestando propriam ingratitude cōmissam erga Deum peccando: Itemque dolendo cum prodigo de misero statu, in quem nos coniecerimus: & præ pudore non audendo cum publicano in cœlum oculos tollere: ac demum cum Diuis Petro & Magdalena, imbre lacrymarum genas rigare pro tanta bonitate & maiestate offensa. Adde & firmiter proposita emendatione, implorare diuinam misericordiam per multa, quæ habentur in Psalmis, præsertim pœnitentibus: vt. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Non intres in iudicium meum seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si iniquitates obseruaueris, Domine: Domine, quis sustinebit: Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. Non auertas faciem tuam à me: & similia.

Ceterum si occurrat infirmus duri cordis, nec effecti ad exercitium pœnitentiæ, Sacerdos motum quendam emolliendi illum habet in nostro tractatu de Prudentia Confessarij. ideoque hic occurrat breuitatis studio.

§. 4. De exercitio Fidei.

Quod attinet ad Fidem, sine qua impossibile est placere Deo ad Hebr. c. 11. ea exercetur cre-

dendo, quæ symbolo Apostolorum continentur; siue illud ipsemet ager recitet, siue illud Sacerdos ei proponat per partes, præmittendo; Nonne viuere & mori vis in fide, quam ad salutem necessariam proponit S. Romana Ecclesia? Quòd si contingeret, infirmum ipsum aliquam tentationem pati circa credenda; ei proponi poteri: *Primò*, talia testata esse per miracula, quæ non nisi à Deo per suam infinitam potentiam fieri potuerunt: Deum autem mendacij & falsitatis testem esse non posse. *Secundò*, quòd in Christiana fide nihil vnquam, nisi sanctum & commendatione dignum deprehensum fuerit. *Tertiò*, eam prædicatam esse mundo ab omnibus integerrimæ vitæ, cum contemptu commodorum temporalium, & tolerantia tormentorum grauium, consignantibus illam sanguinis sui effusione, propriaque morte. Audiram quoque esse cum magna mutatione morum, & tantà generositate, vt quodcunque tormentorum & mortis genus pati maluerint, quàm ab ea momento temporis deficere, pleni Spiritu S. reddente illis testimonium, quòd essent filij Dei, hæredes regni cælestis, persistentes in suscepta fide.

§. 5. De exercitio Spei.

Quod attinet ad spem, consultum est illam prærobore atque viuificare circa sua propria obiecta; quæ sunt remissio peccatorum, diuinæ gratiæ consecutio, perseuerantia in eadem, & adeptio gloriæ æternæ. Ad quam viuificationem ista, præter alia, conferre possunt: Primum est, illud ad Rom. c. 8. *Qui etiam proprio Filio non peper-*